



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Svcqv̄et E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Caput 37. de modo meditandi per fidem spem, & charitatem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

dormitabis, paululum conferes manus ut dormias: & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus; si verò impiger fueris, veniet ut fons messis tua, & egestas longè fugiet à te.

CAPVT XXXVII.

De modo Meditandi per Fidei, Spei & Charitatis actus.

NUNC explicatum habes modum ampliandi affectus, obeundo locos aliquos divinæ hujus Rhetoricæ: sed & diversos meditando modos expositos videri, atque insinuari inter eos aliquem, quo Fides, Spes, & Charitas in primis exercentur, tanquam virtutes, quæ merito, utpote Theologales, principem locum obtinent. Quia tamen ille modus præ cæteris excellentiam aliquam habet, & simul non tam obuius est; non obiter, sed cum cura explicandus videtur. Faxit divina bonitas, à quo omne bonum ac donum est, ut sit ad nominis ejus gloriam, & animarum salutem.

Principio igitur, ut supra monui, quidquid divinæ potentia creatum est, si diligenter inspiciamus, nobis liber vitæ esse potest: cæli enim enarrant gloriam Dei, & omnis creatura clamat hæc tria, Accipe, redde, cave; accipe me à Deo donum, redde ei gratias, cave abuti ad contumeliam largitoris, & ad interitum, quod concessum tibi est ad vitam. Ex omni enim creaturâ documentum vitæ elicere possumus, & hoc ipsum quasi à Deo nobis non dictum tantum, sed scriptum characteribus creaturarum considerare. Rursum quidquid Sapientia æterna nobis dignata fuit revelare, hoc unum spectat, ut intelligamus voluntatem ejus & consilia illius, ut nos oves Christi ejus pietissimâ misericordiâ vitam habeamus, & abundantius habeamus, ut ipse dignatus est ore suo aperire, quo eructavit abscondita à constitutione mundi: Omnis enim Scriptura divinitus

Omnis creatura est homini liber vite.

Omnis Scriptura nos docet.

2. Tim. 3.

vinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Quidquid item à veritate profectum, ad nos per Philosophos, aut ullos mundi sapientes pervenit, multò magis per sacros Scriptores ab eo provenit, ut viam ad se ostenderet, & veritatem, per quam ad vitam pervenire liceret. Ipse enim est solus via, & veritas & vita.

*Ioan. 14.
Quicquid
verum est
à Deo est.
Rom. 15.*

Denique quidquid ab ullo rectè dictum, factum, ad instructionem nostram, ab eo factum ac dictum esse sciamus. De sacris Litteris sic S. Paulus: Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Sed quid prodest scripta esse, si meliora videntes & saniora, ea amplecti nequeamus! Certè nihil: immò plurimùm obesse sciret voluntatem Domini, atque eam explere non posse; viam ostendi, & nos prohiberi ab eâ. Idè addit Apostolus: Ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. Cujus verò rei? primò consequendi gratiam, ut faciamus ea quæ ad nostram doctrinam scripta sunt; deinde gloriam, si simus in charitate radicati & fundati, sempiternam.

*Ibidem.**Praxis.*

Itaque cum institueris meditationem de aliquo mysterio, considerationem alicujus creaturæ, aut sententiam aliquam expenderis, ac documentum vitæ elicueris; primò fidem ejus doctrinæ excita, velut si à Deo (quod maximè in sacris valet) illa tibi in illo mysterio vel Scriptura sacra, aut etiã profana proponatur. Quidquid enim ad veritatē pertinet, etiam si apud Philosophos inveniatur, illius est, & propter nos ab illo profectum. Idem est si ab aspectu creaturæ alicujus erudiaris ad salutem. Quidquid enim in illis est, & ab eis, sive ad vitam hanc, sive salutem promanat, sive ab Angelo, sive ab homine, sive creaturâ irrationali; à Deo opt. max. esse certum est, velut omnium bonorum fonte: non enim minùs à Deo est, etsi familiaris, quòd loquitur (ut sic dicam) formica pigro, quò eum sapientiam doceat,

ceat, quàm, quod rarius est, si a sine Baalamum corripiat & moneat.

Crede igitur Deo, quia veritas est, crede veritati sic tibi propositæ, & virtutem juxta eam statue tibi esse amplectendam. v.g. in hâc sententiâ, *Omnis qui se exaltat, humiliabitur*; crede verè sic se habere quia Veritas dicit, quæ fallere non potest, nec falli: ea enim est ratio credendi. Secundò, neque tantùm crede Deo, id est Veritati dicenti, sed, ut fit in fide tum humana, tum divina, rationem expende quare tibi credibile illud sit, & quidem valdè. testimonia enim Domini credibilia facta sunt nimis: id est, vide quare homines alicui credant.

Fide exercenda.

Matth. 13.

Luc. 14.

Credibilitas est consideranda.

Psal. 92.

Alia certè causa est ex parte eorum qui credunt, quia ignari, cæci, imprudentes. Alia ex parte asserentis, ob ejus auctoritatem, sinceritatem & fidelitatem. Alia ex parte rei ipsius: sicut enim parum credibile aliquid apparet, quia vel impossibile, & sic divinæ repugnare potentia, vel certè sapientiæ ac prudentiæ aut bonitati videtur: ita cum quid ratione possibile prudenter judicatur, credibile apparet. Id autem in præsentī materia valet plurimùm. Res enim quæ præcipitur aut suadetur, à Deo potentissimo ac sapientissimo suadetur, qui cum dat præceptum, tribuit etiam quo compleatur.

Tertiò, exerce piū affectum credulitatis, quo firmiter à fide propositis adhærescimus. Quomodo, inquis, hoc faciam? Respondeo, attende quæ sint quæ hominem à fide avertunt, ea quæ detestare. Primum, scilicet est suasio & doctrina alterius, dæmonis aut hominis. Secundum, illecebra & invitatio creaturæ, quæ homo abstractus & illectus naufragat à fide, quemadmodum de cupiditate loquitur Apostolus. Tertium, tormenta & adversa. Statue igitur, etiamsi totus mundus, imò, ut Apostolus loquitur, etiamsi Angelus de cælo contrarium rebus scilicet de fide certis doceret, anathema illi dicere, quanto magis homini & mundo universo; quidquid blandiatur, quidquid terreatur, id quæ

Affectus pius excitandus.

Galat. 8.

Detestatio

eorum quæ

fidem exer-

vant.

ten-

seu bonorum, seu famæ, seu vitæ amissio proponatur, crede, & ista exemplo Martyrum fortiter, siue molestiâ, siue blanditiis, siue malis tolerandis, siue bonis amittendis impellatis. Quartò, cum sic te exercueris in uno fidei puncto, extende te ad alia argumenta: ferè enim eadem sunt, quæ omnia testimonia Domini credibilia nobis faciant. Percurrere itaque præcipua mysteria fidei, eiusque articulos potes: ac tandem in fine vel post meditationem. Quintò, cogita seriò hoc tecum. Si verè crederem, & fidem vivam haberem, cum sine operibus mortua sit, quæ opera facerem hujus vel illius virtutis N. de quâ meditatio instituitur, hac & illâ occasione, quam toties habui & habeo etiam hodiernâ die.

*Exploratio
viva fides.*

Exercitium spei.

*Deus non
mandat, &
vires negat.*

POST Fidem exercitam Spem excitato. Quæris quomodo id facies? Respondeo, cum videas illud tibi à Deo verè esse mandatum, vel suatum, ab infinitâ, inquam, bonitate (non enim docet, ut perdat; non invitât, ut ejiciat; non mandat adeò severè, quod præstari nequeat) spera certò gratiam, quæ requiritur ad illud implendum, similiter & gloriam, atque id quod promittitur obsequenti mandatis ac consiliis Domini (quemadmodum in octo beatitudinibus & alibi fieri vides) certò te consecuturum, idque quia Deus verax est in promissis, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Nota verò duo sperari, vires seu gratiam ad laborandum in vinea, ad currendum in stadio, & mercedem ipsam seu bravium. Et vide Primò, quomodo ex parte tuâ res sperabilis sit, quamque desperationis (ab humanis sumpto exemplo) & spei causam habeas; Secundò, ex parte rei quæ speratur; Tertiò, ex parte Dei à quo speratur. Ex parte tua desperare potes, quia debilis ad ardua, ad laborandum in vinea, currendum in stadio. Secundò, quia indignus

Jacob. i.

Qua speranda & quomodo spes augeatur.

dignus es, cui ille à quo speras sua conferat dona & muna, quia injurius illi fuisti, & beneficiis es ingratus. Sperare autem solent homines si digni, si grati sint, si beneficiis obstrinxerint eum, à quo sperant. Id etiam accommoda tibi, quia dignos nos misericordiâ suâ fecit Dominus, in partem sortis Sanctorum, gratos sibi, & à nobis accipere se, v.g. eleëmofynas, fateri dignatur.

Secundò, homines spem augent ex parte ejus à quo speratur. Primò, quia promisit, & se obligavit. Secundò, quia majora dedit tibi, & aliis multis tui similibus, & quidem ex bonitate suâ, quodque ultra hæc per se præstare solitus sit, ac cum voluerit possit. Tertio, quia promissor cogi potest. Nonne verò & Dominus promisit, & majora dedit, & ut sic loquar, cogitur ac vulneratur in uno oculorum sponsæ, fortisque etiam est in eum dilectio? Nonne dixit Moyfi, Sine me? nonne Abrahamo, Num celare potero Abraham quæ gesturus sum? *Genes. 18.*

Tertio, desperant homines ex parte rei, si ardua & difficilis; at verò sperant se facturos & consecuturos rem facilem: atqui mandata & consilia Dei difficilia non sunt: jugum enim ejus suave, & onus leve. Atque hæcenus de spei augmento atque exercitio, ex eo quòd res triplici nomine sperari possit.

Quartò, post hæc affectum spei augere volens, cogita quæ hominem de spe dejicere soleant. Primò, suasio alterius, seu diaboli, seu hominis. Secundò, blanditiæ ut aliud speretur. Tu igitur, etiam si omnes contrarium tibi dicerent, si blandirentur ut averterent à Domino, & si omnes adversarentur, & Dominus te castigaret, dicito, Etiam si occiderit me, in eum sperabo. *Quid de spe homines dejiciunt.*

Quintò, neque spera tantum hoc de quo in materiâ præsentis, v.g. humilitate, agitur, sed extende spem ad ea omnia quæ necessaria ad salutem.

Sextò, cogita, si verè sperares, quid & quomodo ageres: qui non sperat non seminat, non laborat, non pugnat; *Exploratio viva spei.*

pugnat; ut in rebus humanis manifestum est. E contra-
riò qui sperat arat, pugnat, sudat, currit, ut rapiat bra-
uium: quæ in virtutis ac pietatis materiâ, de quâ agi-
mus, rem non incommodè, vt cuiuis patet, proponunt.

Exercitium Charitatis.

*Caritatis
præceptum.*

PRO charitate excitandâ & inflammanda, considera
illud præceptum aut consilium tibi datum, vel per
creaturam suggestum, ex infinitâ charitate Dei, idque
ob summum bonum ac felicitatem tuam; atque accipe
velut à duce viam ostensam, à magistro veritatem, à
domino vitam, à medico medicinam, à Rege ac ago-
nothetâ coronam, idque bono tui solius & commo-
do. Quantum igitur impellere debet te amor illius,
qui nihil fecit eorum quæ fecit, nihil cupit eorum quæ
mandat, nihil loquitur, nihil suggerit per omnem crea-
turam nisi pro te, & ex amore tui, præceptor tuus, &
pastor, dux in viâ, Rex & Creator tuus? Sunt enim mâ-
data eius super mel dulciora, lucerna pedibus nostris,
diligenda super aurum & topazium. Tu verò sponta-
neo amore dilecta à Deo anima, cave aliò eum reda-
mare, mercenaria esse, tuum commodum ac gloriam
spectare; sed unam illius intueri, & ama voluntatem,
gloriam & honorem. Secundò, considera quare amare
homines soliti sint. Primò, quia se amari putant. O quã-
tum dilexit nos Pater, qui proprio filio non pepercit,
sed pro omnibus tradidit illum! quantum Filius, qui
oblatuſ est, quia ipse voluit. & posuit animam suã pro
nobis omnibus suis! quantum Spiritus Sanctus, qui venit
ad nos in igne amoris, & postulat pro nobis gemitibus
inenarrabilibus, id est, postulare facit præ desiderio sa-
lutis nostræ!

Psalms. 118.

*Spontaneo
amore nos
Deus diligit.*

*Amoris ori-
go.*

*Quam ama-
bilis Deus.*

Secundò, dixi suprâ, fidem & spem augeri, eò quòd
res credibilis & sperabilis sit: ita caritas & amor Dei ac
voluntatis eius, quia ipse amabilis est. Amabilis verò
ille est tum propter se, & summè perfectus & bonus,
rui

tum propter beneficia præstita, tum ea quæ preparavit diligentibus se.

Tertiò, vide quæ ab amore avertere possent, blandiendo, terrendo, suadendo: & attende quàm fortiter amare debeas. fortis enim est ut mors dilectio, & dura sicut infernus æmulatio; lampades ejus, lampades ignis atque flammæ, aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Etiam si igitur omnia bona mundi te allicerent, mala te vallarent ac turbarent, omnes etiam Angelici (spiritus aliud suaderent; ama Deum, quia solus bonus est, & dignus accipere amorem, gloriam & honorem.

Quartò, observa autem ut ames eum singulari amore, quia singulari te complexus est & complectitur. Quidquid enim à Deo gestum, factum, dictum aut permissum, tamquam pro te solo dictum, factumque & permissum amore tui solius existima: tanto enim fertur erga singulos, quanto erga omnes Deus, id est infinito, ineffabili & incomprehensibili amore.

Quinò, cogita, si verè amares Deum, qualiter cogitates; loquerere & ageres: numquam enim amor Dei est otiosus: operatur enim magna, si est; si autem operari renuit, amor non est.

Vis hæc compendio?

CVM in sententiâ aliquâ, aut creaturâ, aut mysterio, doctrina, vel pia instructio, aut virtus amplectenda proponitur; cogita ac crede, Primò, à Deo tibi proponi, & verissimum esse propositum; & Secundò, simul etiam maximè credibilem esse veritatem illam; ideoque Tertiò, adhæreas illi toto affectu, ita ut cum Apostolo dicere possis, Quis ergo nos separabit à charitate, humilitate, patientiâ, modestiâ Christi, &c. tribulatio, an angustia, an fames, &c.

Deinde spera auxilium à Deo, quia ipse præcipit bonitas ac potentia infinita, & daturum se gratiam promittit.

LI

tinuit.

Cant. 8.

*Detestanda
qua amor
repugnant.*

*Attende
omnia à Deo
propter ea
esse facta.*

*Experimen-
tum chari-
tatis.
Greg. hom.
3. in Euang.*

Fides.

Rom. 8.

Spes.

misit. Secundò, attende quæ fiduciam & spem augere debeant, & rem aliquam in humanis sperabilem faciant. Tertiò, amplectere eam perinde ac Sancti, de quibus Apostolus: Lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt, propter spem utique & fiduciã.

*Hebr. xi.**Charitas.*

Tertiò, charitatem excita, eò quòd præcipit ad utilitatem tuam, non suam: ergo ex amore sequere Dominum, cum ex aeterno & spontaneo id tibi suadeat, vel præcipiat. Secundò, considera quantoperè tibi ille amabilis sit, & mandata illius. Tertio, amplectere eum, omnia propter illum abnegando, & ama toto corde, totã animã, totã mente, totis viribus tuis.

Quæstio triplex continens modum meditandi.

Hæc verò quæstionibus tribus exercere potes circa quamvis materiam: quarum Prima, quàm verum hoc & credibile est quod proponitur? Secunda, quàm certa obtinendi spes, & res per se sperabilis? Tertia, quanto mihi à Deo mandata, quanto verò à me implenda est amore ac charitate?

Post hæc attende, si verè crederes, sperares, amares, quales essent cogitationes, verba ac opera tua.

Hoc igitur modo uti poteris in omni Meditatione, five ea fuerit de mysterio aliquo, five de creaturã aliqua, five sententia. Mystera passim nota sunt, creaturæ ubique obvia, ideò sufficiet præcipuas aliquas sententias hîc proponere. Habes præterea toto libro Jaculatorias, quas hac ratione poteris expendere.

Sententiæ in quibus exerceri hic modus utiliter poterit, quæ tribus viis, respondent.

Gen. 1.

*Pro viã
Purgativã.
Finis ho-
minis.*

Lucæ 12.

*Mortis me-
ditatio.*

Matth. 15.

Æternitas.

Creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, ut ei serviat, & serviendo eidem salvus fiat. *Credis hoc & speras, & non amas?*

Et vos estote parati, quia qua horã non putatis filius hominis veniet: Credis hæc, &c.

Ibunt mali in supplicium æternum: Iusti autem in vitam æternam.

Iusti

Iusti in aeternum vivent, Anima autem quae peccaverit, ipsa morietur. Ezech. 18. Peccatum:

Maledictus homo, qui facit opus Dei fraudulenter: Anima autem laborantis impinguabitur. Credis hoc & speras, & non amas? Jerem. 48. Acedia. Proverb. 11.

Dicunt impii, quid nobis profuit superbia, aut divitiarum iactantia quid contulit nobis? transferunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam navis, &c. Sap. 5. Mundi vanitas.

Quid prodest homini si universum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiat? Credis hæc verè, & speras? Matth. 16. Mundi vanitas.

Omnis qui se exultat humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Credis hoc & speras, & non amas? Luca 14. Pro viâ illuminativâ.

Avaritia est idolorum servitus: ergo. Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adjicientur vobis. Credis hoc, & speras, & non amas? Humilitas. Galat. 5.

Amen, Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Credis hoc, & speras, & non amas? Matth. 6. Spes.

Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis. Credis hæc verè & non speras? Ioan. 16. 1. Cor. 10. Fiducia in tentatione.

Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit. Credis hoc, &c. Luca 10. Obediëntia.

Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem. Credis hæc verè, & speras? Hebr. 10. Patientia.

Vnusquisque in quâ vocatione vocatus est, in eâ permaneat. 1. Cor. 7. Perseverantia.

Qui non nubunt, neque nubuntur, erunt sicut Angeli Dei. qui potest capere capiat. Credis hoc, & speras, & non amas? Matth. 22. Matth. 19. Castitas.

Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Matth. 25. Libertas.

Hoc est preceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Joan. 15. id est, ut explicat idem, Et nos debemus pro fratribus animas ponere. Matth. 5. Paupertas.

Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, liberabit animam eius à morte, & operuit multitudinem peccatorum. Pro viâ unitivâ. Caritas.

Omne quodcumq; facitis ad gloriam Domini nostri JESU Christi facite. 1. Ioan. 3. Iacob. 5. 1. Cor. 10.

Meditatio de verbis illis :

Omnis qui se exultat, humiliabitur; & omnis qui se humiliat, exaltabitur: *per exercitium Fidei, Spei, & Charitatis.*

CONSIDERA verba singula, Omnis, quod exemplo etiam Angelorum probatur. O iudicia Dei! o quanta abyssus! qui se, non quem alius, exultat, in cogitatione, verbo, vel opere, in bonis natura, fortuna, gratia, humiliabitur, à Deo scilicet, hominibus, à demonibus. Exaltavit se desertor Angelus & apostata, exaltavit se Adā, Nabuchodonosor; & quomodo humiliati sunt à te, qui in altis habitas & humilia respicis in celo & in terrā? Quam vera hæc Deus meus! quam par est me credere tibi, & obedire mandatis & doctrinæ tuæ? omnia enim mandata tua veritas. Tu, inquam, es æterna veritas, sapientia & bonitas infinita, qui fallere non potes, nec falli; ego verò cæcus in viâ, quomodo nõ te sequar ducem meum quocumque ieris? ego ovis errabunda, pastorem in hac vastâ solitudine? ego puer ignorans egressum & introitum meum, non audiam te, o sapientia æterna? Ecce in tenebris existo, & tu lux mea, tu stella naufraganti; quomodo te non sequar? ex scuto fidei dextram armabo seu dextrum oculum, fidem, inquam, servabo, ut adversarius resistere queam, quem Isaacitis Naas erueere volebat? Credo igitur & confiteor tibi super iudicia justitiæ tuæ: cur enim non credam tibi: nõn re testimonia tua credibilia facta sunt nimis? Imò quotidiana veritatem hanc adstruit experientia, illam creaturæ nos docent propè omnes, Domine mi, iudicia tua vere esse, & justificata in semetipsa: æquum enim est, ut qui se opponit factori suo quacunque ratione & superbit, humilietur. Amplector ergo istam quem scio esse fidelem sermonem tuum, & omni acceptione dignum, & quamvis adversarius contrarias ingerat animo cogitationes, N. & conetur ex bonis tuis elicere vanitatem gravissimum malum, ut me malum faciat, quia

psalm. 118.

Deus fallere non potest.

1. Reg. 11.

Psalm. 92.

Ratio qua rebus fidei ancillatur, resq; credibiles facit.

Psalm. 92.

Psalm. 18.

*Amplius fidei cum de-
restatione
contrarii.*

tu erga me bonus es; superbum, quia erga me clemens,
& humillimè ad me te dimittis; avarum, quia liberalis-
simus es erga me; & invidentem gloriæ tuæ, eamque af-
fectantem quo magis eam mihi vis communicare: et-
iamsi omnia mundi bona atque honores N. habere
possem, detestor & abominor omnia ut laqueum, uti
verè sunt, ut lapidem offensionis, ut præcipitium, ut
ruinam sempiternam. Imò etiamsi cogerer, ut sic lo-
quar, tormentis, adversis premerer, nisi me erigerem
contra mandata aut consilia tua, tamè parerem, & cre-
derem tibi potiùs, & talis esse vellem, qualè me optas,
& per gratiam tuam eligerem abjectus esse in domo
Dei mei magis quàm habitare in tabernaculis peccato-
rum. *Credo tibi, &c. ut suprà pag. 7.*

Neque tantùm in eo tibi credo, ô æterna Veritas, sed
omnibus quæ per Ecclesiam mihi proponis, sive scri-
pta sint, sive non sint, N. omnia enim credibilia facta
sunt mihi, quia tu dixisti, ô æterna Veritas: atque insu-
per confirmant tot Sanctorum exempla, tot Patrum
scripta, tot Philosophorum dicta, qui cum per visibi-
lia invisibilia tua cognovissent, non sicut Deum glori-
ficaverunt, dati que sunt in reprobum sensum, & ad
nostram utilitatem vixerunt, si tibi vivamus & moria-
mur: vivamus inquam, & ex operibus ostendamus fi-
dem nostram. Si enim verè crederem, si in me fides
hujus verbi tui verè operaretur, fieret velut granum si-
napis in arborem magnam: qui enim credit in te, o-
pera quæ tu fecisti, Deus meus, & ipse faciet, atque
imitabitur factorum suum. *Et verò si humilis forem, quam*
verè me vilem aestimarem, quam vilem haberi vellem, & non hu-
milis reputari? loquerer humiliter, modèstè, deferrem omnibus,
omnes mihi præponerem, nemini arroganter repugnarem; ap-
pareret in voce, gestu, oculis humilitas, non fastus, non arrogan-
tia, non proprium judicium, pestis anima mea! sed discipulus
tuus factus, mitis essem, & humilis corde, & invenirem re-
quiem anima mea & gratiam in oculis tuis, ad quod toto corde

*Percurrere
hic alijs ar-
ticulos fidei
licet.*

*Viva fides
efficax.*

*Quid humili-
tus experia-
tur.*

suffiro. Hæcine vera, ut sup. pag. 7.

*Exercitium
Spei.*

Actus Spei.

Matth. 11.

Matth. 7.

Psal. 22.

Psal. 30.

*Psal. 4.
Ephes. 6.*

Rom. 5.

*Ratio Spem
adjuvas.*

Videō quidem & credo esse vera, quæ suggerit Ma-
jestas tua; sed quæ virtus mea, ut illam virtutem conse-
quar in valle miseriæ, quam perdidit ille & ille, & quam
tot ac tantis viris in Religionis arce constitutis eripuit
adversarius, deturbans eos in profundum? Verumta-
men cum tu, Domine, mandaveris eam mihi, certus
sum, quia gratiam dabis, ut impleam mandata tua. An
enim, Pater benignissime, tyrannus es, qui mandes filiis
quæ præstare nequeant, & invites omnes qui laborant
& onerati sunt, & promittas quod reficies eos, & non
facies? Promisisti dicens, Petite & accipietis; quærite,
& invenietis: cur ergo non sperem? quid non sperem?
quomodo & ubi non sperem? si ambulavero in medio
umbræ mortis, non timebit cor meum. Ecce ego hîc la-
boro quidem, & oneror superbiâ meâ, deprimit me il-
la, demergeretque in infernum, nisi tu supponeres ma-
num tuam: in te enim speravi, non confundar in æter-
num. Da ergo quod jubes, & jube quod vis. Tu man-
dasti mandata tua custodiri nimis sub pœnâ mortis æ-
ternæ, numquid ergo gratiam tuam mihi negabis, quâ
obediam tibi? Tu Domine qui sic singulariter in spe
constituisti me? Dabis ergo spero mihi armaturâ tuam,
ut possim resistere in die malo, stare succinctus lumbos
in veritate, indutus lorîcam justitiæ, in omnibus sume-
re scutum fidei, & galeam spem salutis. Ego quidem
non sum dignus, qui operibus meis & injuriis & blas-
phemus fui; sed ubi abundavit delictum, per miseri-
cordiam tuam solet abundare & gratia. Fateor, equi-
dem nihil dignum feci oculis tuis, sed per gratiam tuam
infinitam video me velle servire tibi, & quærere te in
toto corde meo: super hoc confiteantur tibi omnia o-
pera tua, & sancti tui benedicant tibi.

Sed unde tanta fiducia misero mihi, qui nescio
infelix homo, amore an odio dignus sim? Caritas
tua, Christe Jesu, urget me, ut credam tibi & sperem
in

in tuâ benignitate. Cur ita? nempe quia postulanda *Eccel. 9.*
promisisti, quia majora non petenti dedisti; imò dedi-
sti te mihi, animam tuam in mortem propter me, & cor-
pus & sanguinem tuum in cibum & solatium animæ
meæ. Scio etiam quia multis es largitus eam virtutem
N. At digniores quidem me longè erant, sed nōne per
te erant? & tu potens es de lapidibus suscitare filios A-
brahæ, & ex me facere filium tuum. Scio etenim, quia
statui gratiâ tuâ nunquam legem tuam, consiliū tuum,
nunquam te dimittere, sed amplexu intimo cordis mei
te stringere, donec benedixeris mihi, qui verbo uno
creasti omnia, & potes nutu uno sanare omnia mala
mea, qui sanguine tuo me redimisti, & regnum tuum
promisisti.

Et verò humilem esse certè gratiâ tuâ difficile non est: nōne *Humilitas*
facilius descendere, quàm ascendere? nōne facilius esse quod es, *facilis.*
quàm esse quod non es? habere, & in te videri quod habes, quàm
sperare & ostendere quæ non habes? Certò igitur per gratiam
tuam spero, quòd hanc gratiam inveniã in oculis tuis:
& licet moram feceris, expectans expectabo te Domi-
ne, quia veniens venies, & non tardabis. Esto, aliud mihi *Hebr. 10.*
hostis infurret, aliud labor longus; sperabo tamen,
& licet occideris me, in te sperabo.

Neque hanc tantùm gratiam, sed quidquid mihi ad *Dilatatio*
salutem necesse est, petam & accipiam, quæram & in- *spei.*
veniam; pulsabo fores misericordiæ tuæ, & aperientur:
aperiesque manus tuas liberalissimas, in quibus descri-
psisti me, & implebis me benedictione, ut benedicam
& laudem nomen tuum in sæculum sæculi, quod est
summa desideriorum meorum.

Nunc igitur, anima mea, si verè speramus per virtu- *Propositum*
tem N. ascendere, & similes esse Deo nostro, scito nobis *firmum.*
ista N. quærenda esse; aliis; illa N. deferenda: hu-
miliari nos hic oportet, ut exaltemur in tempore op- *Aspiratio*
portuno, in die visitationis: quando veniet illa, quan- *ad Deum &*
do veniet, ut assumas nos ad te ipsum, & videamur *resignatio.*

muste? At nō videbit te homo, & vivet: ō utinam moriar, ut te videam ō vita mea! quid enim hīc moror, aut quid me moratur? Quod si aliud placet tibi, placet & mihi: velle enim meum dicavi tibi, & omnem amorem meum, ut nihil cupiam, nullam virtutem aut donum, nisi ut placeam tibi; cūm nihil à te factum sit aut mandatum, nisi ut tu unus mihi placeres, & omnia displicerent aliena à te.

Mandas ergo mihi virtutem hanc N. & suades, ejus perfectionem, quæ in eâ sita est. Et quorsum? certè video, bonum meum quæris, quia bonorum meorum non eges, idque ut me exaltes ex charitate tuâ immensâ. O Deus meus, ō amator hominum benignissime; quàm purè nos diligis, quàm gratuito amore! Ecce si quid mandas, præcipis, si quid facis, creas, id propter me; & ego mercenarius ero, & non potius ex amore parebo tibi, ut placeam tibi: ut deliciari possis in animâ meâ? ut exultare in seruulo tuo, & gloriari in eo quod non sit infidelis tibi, quia tu dignatus es facere misericordiam tuam cum illo? si jubes ex amore, quid quæris aliud quàm amorem? Amari à me vis. Quid ergo est amare? benè tibi velle, de bonis tuis gaudere, de malis quæ tua reputas dolere, tibi libenter adesse, de te cogitare, & tecum ac de te loqui, propter te operari. Hoc cine est amare? & amarum mihi erit amare te, dulcedo summa, suavitas infinita, bonitas immensa, misericordia mea, refugium meum, ac liberator meus?

Possumus malè velle tibi, qui non vis nisi bona tua communicare mihi? non gaudebo super bonis, ac gloriâ tuâ, cūm omnia tecum mihi donaris? mala tua non sentiam, cūm qui tangit me, tangat pupillam oculi tui? tibi non adero libenter, cujus sunt deliciae esse mecum; mecum, qui sum vermis, & non homo, cinis & pulvis? Tu perpetuò de me cogitas, ut juves, ut provideas, ut dirigas, ut foveas, ut nutrias; & quomodo oblivisci poterō tui? Venisti à summo cælorum, ut eructares abscondita

Quid sit amare Deū.

*Zach 2.
Proverb. 8.*

Matth. 13.

condita nobis à constitutione mundi, &, quæ est dignatio tua, amantissime JESV! nos dixisti amicos, & *Ioan. 15.* omnia quæ accepisti à Patre tuo, nota fecisti nobis: & fieri poterit, ut non loquar de te? Adhæreat lingua mea *Psal. 136.* faucibus meis, si non meminero tui, si non meminero tui omnibus diebus vitæ meæ. Ah, non meminisssem *Beneficium* tui, qui è millibus quos oblivioni dedisti, & nescisti, *creationis.* legisti me ut essem? Erant & sunt in conspectu tuo, quotquot esse possunt homines, in abyſſo potentiaæ tuæ; & esse nequeunt, nisi jufferis ut prodeant; ego verò cum essem inter eos innumerabiles, præstantiores, meliores futuros, jussus sum exire in lucem hæc. Quid, quæſo, invenisti in me, quòd præ cæteris ante mundi constitutionem diligeres me? quid egeram, qui non eram? quid acturum videbas, qui sprevi aliquando te, & multiplicavi peccata mea, injurias tuas, super numerum arenæ maris? Quid ergo, Domine, impulit te ut meminisses mei? amor tuus, qui me, cum non essem, fecit; & cum factus essem, refecit.

Natus eram, & mecum nati erant plurimi velut flores agri innumerabiles; & cum staremus simul coram *iustificatio* te, innumeris in infidelitate relictis, pereuntibus sine *nis.* baptismo, iterum jussisti ut egrederer de numero, & numerarer inter filios tuos. O dignatio! ô misericordia! *Nota dilu-* ecce tu velut in diluvio verus Noë mihi fuisti, & salva- *vium pere-* ſti animam meam. Stabant innumeri, stant etiamnum *untium.* in littore deserti mundi hujus; & ecce aquæ peccatorum inundant omnia, etiam summos montes superant aquæ; ecce audio clamores, videre videor tendentes brachia, ut in arcam, Ecclesiam, in gratiam à te recipiantur: ego verò inter eos incurius stabam, contemnens & irridens te; & tamen, ô charitas Deus meus, me vocasti à morte ad vitam, ab interitu ad salutem, à diluvio communi in arcam. Neque hoc tantum, sed portasti ad eam, ad caulam tuam in humeris tuis.

Quomodo te amplectar, ô amor! ô charitas! ô abyſ- *Psal. 32.*

Pſalm. 32.

ſus amoris! Beata gens, verè beata, & ter beata, cujus eſt Dominus, Deus ejus; populus, quem elegit in hæreditatem ſibi! De cælo reſpexit Dominus, vidit omnes filios hominum: de præparato habitaculo ſuo, reſpexit ſuper omnes qui habitant terram. Et ecce, erat fames in Ægypto mundi, & eſt; ego neque de pane ſollicitus, ſed tibi Salvatori meo moleſtus eram, ac ſtabam inter innumeros, & ſto, qui fame pereunt; tu verò me vocaſti, & vocas, & nutris manu tuâ. quid dico, manu? paſcis corpore, potas ſanguine, & te totum mihi das; & cujus ero? Ecce, ecce, ecce ut oculi Domini ſuper metuentes eum: ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.

*Applicatio ad Communionem.**Ibid.**Incendium mundi.**Pſalm. 90.*

Incendium eſt, & ardet mundus; ſto in medio reorum, quo juſto judicio ſinis concupiſcentiis ardere & consumi: cadunt à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad me & tabernaculum meum non appropinquavit flagellum. Quid feci ego? quid merui? nihil; ſed vox ſanguinis tui, ô JESV, ô JESV, ô JESV, clamavit ad Deum Patrem, & inveni gratiam in oculis ejus, & veniſti, & ſuſtulisti me ex mediis periculis; & cujus ero? Anima mea ſuſtinet Dominum, quoniam adjutor & protector noſter eſt; quia in eo lætabitur cor noſtrum, & in nomine ſancto ejus ſperabimus.

*Pſalm. 32.**Naufragiū mundi.**Pſalm. 33.*

Naufragium erat, & eſt: & eheu! quot fruſtra tabulam pœnitentiæ quærunt? quis eripere me potuit? quis voluit? omnes dereliquerunt me: ſed veniſti, deſcendiſti, & nataſti in ſanguine tuo, ut eriperes me. Eheu! quis ſum ego, quis ſum ego? & quis tu? unde me noſti, qui nihil ſum, & nihilo pejus? unde in tanto pereuntium numero me diſcernis? uno equidem amore, ac infinitâ charitate tuâ. Benedicâ Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo. In Domino laudabitur anima mea, audiant manſueti & lætentur.

Miſericordia dei erga peccatorem.

Ecce veniſti fortis armatus, & mandaſti exercitibus tuis, ut deleant inimicos tuos: inter eos ego eram & perieram:

perieram : lata erat sententia, maiorque mea erat quam aliorum culpa ; & tamen mandasti , & audiui, Servate mihi puerum istum : & cui vivam ? Fremunt alii, & merito : ululant alii, invident alii, dicentes : Ut quid ille assumitur ? quid ille præ nobis fecit ? & erubescō ad voces illas, quas mihi suggerit veritas & conscientia mea. quid factururus es ? misereberis, scio ; imò & respondebis pro me : An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum ? ecce ajunt illi, Iste consumpsit omnem substantiam suam : & ego erubescens audio, ac vim patior, responde pro me, apprehende arma & scutum, & exurge in adjutorium mihi, effunde frameam, & conclude adversus eos qui persequuntur me : dic animæ meæ, Salus tua ego sum. Dixisti, & ecce confunduntur & reverentur quærentes animam meam.

Video innumerōs in nocte ignorantia, in tenebris nescire quò vadant : ambulabam ego vermīs cum illis inter mille millia, & ego qui eram in tenebris & umbra mortis, vidi mihi oriri lucem magnam. Imò quid dicam ? quid loquar ? venisti ipsemet, ô sol justitiæ, ô splendor gloriæ, ô candor lucis æternæ, & illuminasti me ; & cum starem cum omni gente quæ sub sole est, revelasti mihi aurem, & docere me voluisti vias tuas. Quid ultra dicam ? quid loquar ? silentium meum, & cor meum loquatur tibi. non fecisti taliter omni nationi, & judicia tua non manifestasti eis. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum. Exquisivi Dominum, & exaudivit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. Iste pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum, & de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum. Neque, ô bone JESU, lassatus fuisti, etiamsi projicerem sermones tuos retorsum, & ambularem vagus, & luderem in plateis, & illuderem tibi ; nihilominus elegisti me, quem doceres vias tuas. Audire videor iterum

mussi-

*Psalm. 83.
Thren. 3.*

mullitantes, & dicentes innumeros. Quare hic eligitur, & cur nos derelinquimur? nec habeo quod dicam, nisi, Misericordias Domini in aeternum cantabo; misericordiae Domini, quod non sumus consumpti,

Credo tibi, ut sup. pag. 7.

*Quot modis
Deus peccato-
rem revo-
cat.
Cant. 6.*

*Amor crea-
turae noxius.*

*Deus à ten-
tationibus
preservat.*

*Gratiarum
actio.*

Post hæc omnia adhuc tamen erravi, & consiliis tuis non obedivi, sed abii toties contemnens mandata tua, etsi levia: & jam videbas me cum multis ire & perire; quid faceres, Deus meus, ô bonitas infinita, quid faceres? O quoties misisti Angelos tuos, qui revocarent errantem, & clamarent suavissimè in auribus meis? Revertere, revertere, revertete Sunamitis, revertere ut intueamur te. Reversus sum itaque, vel potius retractus sum. Nemo enim potest venire ad te, nisi Pater tuus traxerit eum. Nonne sperare poteras; quod oculi mei semper essent ad te, sicut tui erant ad me aperti die ac nocte, & animus meus tecum esset? & nõ amarem ultra aliquid, nec peterem, nec optarem, nisi fieri voluntatem tuam, quam scirem esse salutem, & summum bonum meum? ita meritò: sed, cheu! quoties in actione intentio inficitur creaturæ amore, & detrahitur de amore meo erga te? & tamen omnis creaturæ amor non sufficit mihi, ut dignè diligam te. Scio, & video multos traditos esse in manus dominorum crudelium, demonum, satellitum justitiæ tuæ: dereliquisti enim plurimos, & ceciderunt è vocatione, exciderunt gratiã tuã; & ego eodem de meliori jure deserui debueram: cõclusi erant omnes reti vanitatis; quo tegitur, ut vidit Antonius servus tuus, universos orbis; sed sæpissimè mandasti ut parceretur mihi, nec permisisti induci me in tentationem. Videor quasi de terrâ audire clamores, & de sub terrâ, quod mihi peperceris, quod me prævenieris tot benedictionibus: imò, & de cælo admirantium & gratulantium voces quasi percipere. Video plurimos admirari, quasi non feceris eis, quæ incomprehensibili benignitate præstitisti mihi. O quot sunt mala mundi,

&

& quæ non communi jure etiam puniri deberent peccata mea! tot, inquam, morbi, tot miseriæ, tot ærumnæ: sed prohibuisti, ne accederent ad me. Quid retribuam tibi, Deus meus! quid retribuam? cui vivam? cui vivam? ô amor, ô charitas, Deus meus, unum peto humillimè: adjutor meus esto, ne derelinquas me; ne umquam despicias me: ne despicias me, magne Deus, propter amorem tuum, nec projicias me umquam à facie tuâ. In te cantatio mea semper: tu scis In te cantatio mea semper. *Psalm. 70.* Tamquam prodigium factus sum multis, & tu adjutor fortis. *Amor Dei emendatus.* Suades emere à te aurum ignitum, id est amorem: cupio, & vehementer desidero, & rogo iterum humillimè, ut moriar potius, quàm non amem, nō vivam nisi tibi, non loquar nisi de te, non sperem nisi te, non quæram quidquam extra te. O utinam, ô utinam audias me, & admittas ad thronum gloriæ tuæ petitionem parvulam meam: ea est, ut cum nō possim amare te, nisi per gratiam, des mihi amorem, & sufficit mihi; vestem istam nuptialem, ut sentias fragrantiam ejus, & benedicat mihi anima tua. Nec gloriam peto, nec donum ullum, nec privilegium: hæc sint & sunt amicorum tuorum: ego servus & filius ancillæ tuæ. nihil peto, nisi ut redamare possim amantem, mori possim pro te, & vivere tibi. Transfige me, & vulneret me amor tuus, ut moriar mihi, & vivam tibi. O amor! ô ignis qui semper ardes! ô charitas, ô Deus meus! Quis nos, ô anima mea, separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? *Rom. 8.* an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo JESU, Domino nostro. Amen. Amen.

Exer-

Exercitium idem brevius per orationem & jaculatorias, quo in omni meditatione uti potes.

Dei mandata credibilia.

Resignatio.

O Veritas, & bonitas, credo tibi hęc & ubique mihi presentissima, & hęc N. & quacumque scripta, facta & dicta sunt ad meam esse instructionem, & certissime profiteor coram curiã tuã, neque esse quod excusẽ nisi credam illa & opere id ostendam per gratiam tuam. Tu potentissimus & sapientissimus & optimus, & ego non credam tibi? & hęc N. testimonia voluntatis tuę non amplectar? Verẽ credibilia mihi & amabilia facta sunt nimis sive rationem N. & sapientes N. sive rerum naturam inspiciam & audiam. utinam te audissem semper & omne bonum & nunquam te offendissem. Utinam vitã meã te honorassem & ex patientiã meã ostendissem fidem meam. Verũ ex nunc in æternum credam, & diligam te opere & veritate N. fac de me quod tibi visum in æternum: ego gratiã tuã quum scivero voluntatem tuam faciam ex intimo tui amore, & quacumque revelasti pro salute mea amplectar, & omnes voluntates tuas, & vita mea & omne bonum meum. Amen.

Jaculatoriã pro eodem affectu.

Omnia & hęc possibilia sunt credenti. Credo igitur & bonitas, & veritas adjuva incredulitatem meam.

Dixisti & veritas si non credideritis quia ego sum moriemini in peccatis. & poteris & veritas in hoc negare mihi vivam fidem tuam?

O JESV scio, fides sine operibus mortuã est, & sine fide impossibile est placere tibi; adauge quaeso mihi fidem ut placeam & vitam tibi, & amem te in æternum.

Exercitium spei brevius.

Humiliatio sui.

TV scis Deus meus, tu scis quod non sumus sufficientes aliquid facere ex nobis uti nec hoc N. tanquam ex nobis. Itaque ego pulvis & cinis ad te confugio, uti per te, & patientiam & consolationem scripturarum spem habeam & in te sperans non confundar.

fundar. Tuné enim ó bonitas sic N. me vocas, & repellere poteris? sic invitas & trahis ad te, & deficere fines in viâ? In te Domine sperans scio non infirmabor in aeternum, etsi inveniam in membris meis legem repugnantem legi mentis meae, neque dignus sim gratiâ tuâ. Sed qui dedisti mihi Corpus & Sanguinem tuum in precium, & te hodie paratus es dare in pignus salutis, & qui tot beneficiis N. praevenisti me, & petere toties iussisti & dare promissisti ó bonitas, ó veritas, dabis utique mihi quod petam, ut toto corde sperem in te, & quamvis occideris me, ó spes & vita mea in te sperabo, etsi consurgerent in me castra mundi huius & vanitatis & reclamarent, portio mihi tamen erit, sic N. custodire legem tuam, & te sequi: quò enim ibimus à te bone JESV, nòne verba vita aeterna habes?

Beneficia
Dei & pro-
missa spem
excitant.

Jaculatoriæ.

Dixisti Domine, & ita est, sine me nihil potestis facere, quid ergo residuum habeo, nisi ut oculos jam dirigam ad te, & tu, ó bonitas adjuves me?

Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus. Tanquam prodigium factus sum multis, & tu adjutor fortis.

In Deo salutare meum & gloria mea, Deus auxilium meum & spes mea adjuva me, ecce enim tempus miserendi, quia venit tempus.

Exercitium Charitatis brevius.

Charitas Deus meus dà mihi intellectum, & discam mǎdata tua, sive per epistolam sive per creaturam loquaris ad cor meum, Quidquid enim ad salutem disco, tu presentissimus mihi me ex infinito amore doces: O salus mea, & medicina anima mea. Et quanto, quanto id amore doces me, qui nihil sum ante te! tunc honorum meorum eges, ut tam spontaneo amore tot me bonis & charitate tuâ praevenias? Sic enim Pater aeterno dilexisti mundum ut filium tuum unigenitum dares. Sic tu benignissime JESV Fili Dei, ut pro me in mortem dederis preciosam animam tuam, & gravia mihi esse queant mandata & consilia

Deus nos
docet ex
amore.

Magnitudo
amoris
Dei.

consilia

Rom. 8.
Resignatio.

Cant. 8.

consilia tua? Diligam ergo hæc N. & te Deus fortitudo mea, & quam tibi adherere mihi bonum est! quid ergo me separare poterit à charitate tuâ? tribulatio? an angustia? an fames? an miditas? an periculum? an persecutio? an gladius? fortis enim ut mors dilectio tua, & aqua multa sp. ro non poterunt extinguere charitatem, id est, ignem quem venisti mittere in terram, & vis vehementer accendi.

Jaculatoriæ.

1. Cor. 13.

Si habuero fidem ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum: ure igitur me amore tuo, cujus ignis est in Syon, & caminus in Ierusalem, & sufficit mihi.

Act. 16.

Dicebat Apostolus tuus, crede in Dominum IESVM, & saluus eris tu & domus tua, salva igitur me, & da mihi ut te diligam sicut dilexisti me.

Joan. 3.

Sic tu Domine, dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares, ut omnis qui credit in illum non pereat; & ego sic dilectus perire potero? & te, ô charitas, ô omne bonum non amare, aut aliquid extra te?

Exercitium quo anima se elevat in Deum in velante Meditationem, aut Communionem aut post eam.

Præsentia
Dei.

O DOMINE Deus meus, ô bonorum Oceane in omnibus mihi præsentissime. Si enim coram te eorum que sunt circa me veritatem & vanitatem considero, video omnia esse coram te quasi non sint: & in iis te magis esse & operari video, ô lux vera quam ipsa: sunt enim ista opera tua que ex infinitâ sapientiâ, potentiâ & bonitate operatus es & sustentas ea, & in iis etiamnum pro me operaris. O utinam videam illa semper in te & ex te esse omnia! sed velut tenuissimum radium à luce tua immensâ, velut guttam, aut atomum ut sic dicam de Oceano magnitudinis tue.

Cum ergo hæc omnia ita sint quasi non sint coram te, quomodo me creatura trahit, vel eheu quomodo retrahit à te id quod non est & quidem coram te qui solus es quod es, & es mihi
Deus

Deus meus & omnia? ita credo, ita spero & te totâ animâ concupisco. omnia enim (uti & nos) quid nisi vapor ad modicū parens coram te? tu verò solus es qui es. si quid videam. si quid audiam magis te in eo audio quàm creaturâ sonum aut vocem, præter eam quâ omnis clamat mihi, ipse fecit nos, ipse movet nos propter te, & operatur in nobis. Atque aded tango te, & amplector suavi amplexu anima mea & si voluero gusto & video, quàm suavis sis omne bonum, & mihi præsens, & trahor in odorem unguentorum tuorum. Imò nihil video, aut videre volo nisi in te, sic neque audire, nisi vocem tuam, Paratum cor meum; loquere, Domine, quia audit servus tuus.

Deus in
omni crea-
tura opera-
tur.

Certò equidem jam novi quòd velut lumen aut aer, aut nebula undique cingas me, & certissimè scio cor, corpus, & animam meam intimè penetras, & irrigabis illam ineffabili gaudio, si voluero, si apperuer o cor tibi, & omnes affectus meos in te converte-ro, & uni adhaesero tibi. O quàm amarum mihi est te unquam dereliquisse, te offendisse & respuisse omne bonū, aut voluisse aliud extra te! Verùm jam ex misericordiâ tuâ velut mare, magna est contritio mea, & doleo toto corde, quòd te summum bonū Deum & Patrem offenderim & contristârim, aliud præ te estimârim; gratiasq; tibi ago, ô fons bonorum, gratias tibi ago, & ardentè te amo, eò quòd in omnibus liceat mihi nunc videre oculis anima mea operantem omnia, & audire ad me clamantem ut ad te veniam, te amem, te amplectar & fruam. O quàm suaviter trahis me in odorem unguentorum mysteriorum tuorum N. in quibus tribues, si volucro, degustare possessionem veram omnis boni & pacem, quæ exuperat omnem sensum.

Quomodo
circundet
nos Deus.

Contritio.

Gratiarum
actio.

O amator fidelissimè, & presentissimè & intime mihi, amo & amplector te intimo cordis affectu, quia scio, scio me amplecteris, sustines, & penetras, & amas me sincerè, id est, vis mihi omne bonum, vis ut eo in te jam jam fruam, in te sperem, vivam, movear & sim, & beatus sim, ô beatitudo mea. Charior video tibi mea est, ut sic loquar, quàm tua tibi vita, cum illam pro me dederis, ut ego viverem & sanguine mi ut ego biberem, & carnem me esurirem, & labores tuos ut ego quiescerem. Quid ergo mihi est in calo, aut à te quid velle possum super terram? si quid enim

Actus
amoris.

Conversio
omni n
affectuunt
in Deum.

delectabile aut videt oculus aut mens intuetur, id tu es qui delectabilis in creaturâ es, & in eâ existis ut me trahas in amorem tuum. O Deus meus qui es super omnia desiderabilis.

Creaturæ
nihil sunt.

Deus omnia operatur in omnibus.

Creaturæ
vanus
amor.

Nunc ô JESV, spes mea venio toto corde ad te, & nihil videre opto vel audire, aut cognoscere, cum verè delectabile nihil, imò nihil vere sit extra te, unde etiam nihil verè satiat, quietat, aut replet extra te. Cur ergò illudere mihi volo quasi aliquid esset, aut tibi qui es sola mea delectatio: qui ades ubique mihi, cujus vox undique sonat in auribus meis, & facies decora illuminat me, ut unum te videam dulcissime JESV, te unum amem toto corde & anima mea, & beatus sim in te, cum in nullo esse queam extra te. Possimne in nihilo, id est, creatura exultare: in eâ quæ non est pedem fiducia & amoris ponere potius, quam in te, qui in æternū non desicis, & facis mirabilia magna solus, & solus, ut sic dicam, operaris omnia. Tu enim mihi solus lucas per astra tua, in te solo aère meo respiro, in te sto & vivo, per te solus iustitia video opera tua, & video verbum hoc quod factum est. N. visionem magnam humanitatis tuæ videbo opera ejus, & anima mea cognoscat nimis & diliget te totis viribus suis.

Videbo te unum & video, ô lux vera in tenebris meis & illuminatio mea in nocte hac. si igitur nullam veram lucem video nisi te, quò ibo nisi ad te quem sequar? quid me ô JESV, divertet à te si verè nihil video, quod amare possum extra te? si quidquid illud est, & nihil est, & fumus & umbra, & laqueus & muscipula, & perditio, in te verò sint omnia veritas & vita, & lux & salus, & omne bonum. Quis velle potest quod non est, quod non satiat, proinde nec tranquillat, quod seu fuerit, seu sit, sive non sit, & esse putetur, aequè satiet & evacuet. Quid enim ex visis, auditis, gustatis superest, nisi dolor, aut desiderium siticulosum hydropici, vel carnis fames egeni quid? an optabo ut potius creaturam eam amando quæ non est bene, sit illi inquam potius bene, quæ agit ut malè mihi sit, imò nihil sim, quàm ut tibi, à quo omnia mihi bona venerunt, bene sit, id est, ut sincerè amem te, & cupiam te solum, & nihil queram extra te; ac proinde de nullo negato vel amisso doleam, nihil optem mihi obtingere vel fieri, nisi juxta voluntatem tuam, sed eam solum amem in omnibus.

Ach

Ach utinam ego utinam omnia te ament, tibi seruiant, non mihi, non me ament, non laudent, sed te solum; in te enim cantatio mea semper & tanquam prodigium factus sum multis, quia mihi verè es adiutor fortis, & omne bonum meum: ò quàm certus sum beatissimum me, si nihil amem extra te, in quo omnia, si nihil nisi propter te, ex quo omnia; si nihil nisi te videre velim cum in te omnia, & sis vera lux, & omne bonum non absens, sed presentissimum; nihil præter te & voluntatem tuam fieri vel factum esse vel habere optem, cum nihil præter te sit, imò laqueus sit, & venenum & perditio quidquid tu non es, nihil præter te timeam: sub umbrâ etiam alarum tuarum protegis me, & scuto circumdat me veritas tua, potentia & sapientia, neque movetur absque te gutta, vel arena, vel atomus, nec moveri potest nisi per te, constituissti enim terminos omnium, & ordinasti omnia pro æterna sapientia & bonitate tuâ, à summo calorum usque ad terminos eorum.

Creatura
vana timeat
t. II.

Quid igitur nunc formidare possum aut de quo tristari cum tu verè tota sis salus mea: quid amare præter te, cum in te omnia habeam? cui placere alteri optem quàm tibi, cui displicere timeam nisi tibi? nonne tibi si placeo omnibus placeo? quid dico omnibus placeo, cum nihil sint, & tu unus sufficias mihi Deus meus & omnia? an non credo te esse quem teneo, video, audio & amo? an non credo quòd nemo bonus nisi tu Deus meus? nemo mihi velit bonum aut voluerit unquam, sed tu per eum feceris, & volueris qui solus bonus es: illi verò nec bona habeant, nec alicui velint aut velle possint nisi per te? cui igitur placere volam aut displicere timeam? cui timorem & amorem debeo totum nisi tibi charitas ineffabilis Deus meus?

Creaturæ
placere vana
num aut
quidquam
contribuere,

Amo igitur te quantum possum, & opto supra id quod possum omnes omnium creaturarum affectus & amorem transferre in te, odium peccatorum & damnatorum in tui amorem, blasphemias eorum in tuas laudes commutare, arenas omnes & guttas, & atomos in ardentissimos Seraphinos, in Choros eorum & calos illis plenissimos convertere; omniumq; eorum & beatorum laudes futuras in æternum jam representare tibi; & quid hæc sunt omnia ad te? non velut momentum statera; non velut

Actus amoris.

gutta ad Oceanum & mundum uniuersum. Nihil enim sunt omnia si tecum comparentur. neque quidquam cupere possum prater te unum, utq; te solum ament omnes, tibi seruiant, de te solo cogitent, gaudeant, te timeant, & in omnibus solum laudent. Tibi o Oceane, & abyssus bonorum, benefaciant, id est, iuxta legem tuam benè uelint, non mihi nisi quã per me uelle eorum redundet, & ressuat in te, & nihil remaneat in me, qui non sum aut esse uolo sine aut extra te, aut prater te.

Nulla nulla iam me tenet sollicitudo meï, quia scio, & humillimè gratias ago, tu sollicitus es de me, infinites melius quàm si ego forem. Non me iam occupat creatura alicuius amor, sed relinquo omnia, & odi etiam animam meam ut de diligam: neque enim demens habere uolo nihilum pro omnibus bono uel super omne bonum. Nullus me iam timor angit, quia timentis te Domine nihil deest: cum posueris me iuxta te cuiusvis manus pugnet contra me, uel potius contra te. Quia me ut pupillam oculi tui custodis, quia locas me in medio dulcissimi cordis tui, & in manibus tuis descripsisti me, & operatus es salutem meam in medio terra cum labore & dolore, & nunc mecum es usque ad consumptionem seculi, & omni hora paratus me uisitare & solari, & operari pro me pergis infinito & suauissimo cum amore. Vulnerasti illi cor meum, & effecisti saucibus meis eloquia tua dulciora supra mel & favum. Revela obsecro oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tuã, de uitã tuã, de amore tuo, qui mihi es suauissimus & plus millies gratissimus, quàm dicere sufficimus.

Applicatio
ad Com-
munionẽ.



XII

16

DECIMÆSEXTÆ IMAGINIS
A N N O T A T I O.

Vis virtutem notatam in mysterio N. sequi? Deo soli confide, diffide tibi.

ET si virtutem in mysterio observatam, & A Christum sequi decreveris; cheu! retinebit B mundus, & pondus corrupta natura: veletiam C peccati vinculis retraheris: sed confide in Deo, & D Christus suâ te gratiâ liberabit, & viam ostendet ad E virtutem. Hac absque gratiâ homo F infantis similis est, qui neque surgere, neque consistere, nec se tueri, nutrire, aut hac ab alio petere valet. Tibi itaque diffide, Deoq; soli, eiusq; gratiâ confide cum G Davide, qui non in fundâ, sed in nomine Domini Goliath superavit: neque dubita ullo pacto, ne cum H Petro ob modicam fidem mergi incipias.